

# THESES GENERALES

PUBLICO-IMPERIALES

HISPANO-REGIO-CANONICAE

QUAS

IN MINERVALEM OFFERT CONCERTATIONEM

D. PETRUS JOANNES TRULLÉ ET FERRER,

JURIS PONTIFICII BACHALAREUS;

CUI PRAEERIT,

D. ANTONIUS EGIDIO ET CECILIA,

ejusdem Juris Doctor ac in Regia simul ac Pontificia litteraria Orcelesi Universitate Cathedra Regens, ac utriusque Fori Advocatus: Ambo quondam D. Michaelis Archangeli, ac Purissimae Virginis abs labe conceptae Collegii-Seminarii Alumni.

*Locum parabit certamini laudatae nostrae Universitatis Theatrum.*

DIE 7 MENSIS Junii ANNI M.DCC.LXXXI.

*Hora 8 Matut. et 4 et 1/2 vesp. \**



MURCIAE:

---

Apud VIDUAM PHILIPPI TERUEL Typographum:  
Via Lintearia.

R. 20.685

Archivo Histórico

Orihuela

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

1922

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT



PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT



**S**Inas deprecor, Maxime Apostolorum Princeps, ut has Theses in publicam editas disputationis lucem, benevolentiae plenas ad Te transferre; hosque non primos meae occupationis fructus Tibi ex intimo cordis affectu dedicem. Si oblatus muneris ex sua, Tuave dignitate dimensionem effeceris; perexiguum sanè: si ex voluntate animoque, grande nimis ac valde magnum judicaveris. Maximam injuriam absdubio ego mihi me ipsi afferrem, si me & meas juridicas Elucubrationes alii, quam Tibi addicerem. Cui mercede sacrandae Juris Publici Asserta ad pacem telluris marisque spectantia, nisi qui Tiberiadis dereliquit piscandi retia, sequendo Christum Dominum, bonae voluntatis pacem hominibus afferentem, Foedus Pacis aeternum Deum inter & homines suo sanguine firmaturum? Cui eccle-

*clesiastica dicare possem Asserta, nisi ei qui Ecclesiae clavibus acceptis à Domino primas habenas obtinuit regiminis, dominicas oves pascituro? ; Cui, nisi qui cum Christi Domini Sacerdotis Summi verus fuisset Vicarius, caeteri Romanae Ecclesiae aliarum matris atque Magistrae, qui hucusque veri vixere Pastores, in ejusdem regimine successerunt, ecclesiasticae Jurisprudentiae sacri fontes Legumque latores? ; Cui demum, nisi cujus nomen in sancto Regenerationis fonte sortitus, tutelam in infantia, in juventute tuitionem, in conatibus felicitatem, prosperitatem in litterariis actibus, & in omnibus fidelissimum fuerim Protectorem expertus? Laudatae igitur, Charissime Princeps, notiones meae gratitudinis me timidum impulere, ut sub tuae Celsitudinis auspiciis has litterarum juridicas elaborationes in lucem ederem; Tu eas nosce, & ignosce, alius negliget forsitam priusquam legerit. En curriculum minervalium levidense munusculum; at devotionis & amoris in Te mei omni ex parte syncerum perpetuum gratitudinis monumentum. Proinde exorare non deseram ut illud grato animo, hilarique vultu suscipias, ne praecox, sed uberimum omnibus undique videatur; utque tanto Patrono, & Protectore munitum, tanta authoritate ornatum, tanto decoratum fulgore, ac splendore tanto suffulsum materiei gravitati, ac dignitati consonum videatur. Unum superest Sanctissime Petre, ut Tuo juvamine mea defensio respondeat: sic evenire confidit, ac tuis pedibus demissus fore consecutum sperat humilissimus ac devotissimus*

Petrus Joannes Trullè, & Ferrer.

PRAESIDIS ADMONITIO AD LECTOREM.

MUneri mihi demando fecisse satis aliquibus ab hinc annis non intellexerim, si inter docendum explicandumve ecclesiasticam disciplinam ad vespertinam laudati juris Cathedram respondentem, Legum hispanicarum sedulam ommitterem expositionem. Nec Regiis Sanctionibus id ipsum praecipientibus obsecuturum ire solummodo arbitrabar, sed et Adolescentum integerrimae litterarum cupiditati consului libentissimè, quò Jurisprudentiam legalem ferme omnigenam haurirent. Vota prodiere consona profectibus: altè igitur meditatatus quod meo accedente labore; ac honesto recreandi animi otio litteris impenso, valerent postmodum & sibi & Reipublicae inutiles non adesse; in publici juris studii desiderium aliquos inflammavi. Qui non è limine studium hoc salutarint, & per vastissimam Pacis ac Belli terrae marisque Praeliminarium, Publicorum Tractatum, ipsorum religiosae observantiae, turpis, sive justae infractionis regularum, caeterorumque tum ad indicendum, ac ineundum Bellum, tum ad in eo supersedendum requisitorum cursitarint provinciam, haudquaquam sibi conscii non aderunt, immensam fere illius intelligentiam vel latere Magistros, eidem per multos annos non vacantes. Idcirco ne Adolescentes tanta rerum gravati congerie, aut ab earum

rum

rum comparatione deviarent, aut multitudine granditateve pressi, oneri succumberent; ejusdem tradidi Elementa, quae nec incaeporum obtegunt instructionem, nec per Juvenes obsistunt obtineri. Opus omnino longè, latequè egregium Catholicae Legislationi conformius, quàm Gentibus aut pravitate feris, aut feritate improbis, aut consuetudine inhumanis, aut denique evangelica luce penitus destitutis. Haec quae erudierim & Regii, & Publici juris Praecepta, toto cordis cuperem affectu insita adhaerere meorum Discipulorum animis, ut eorum mentes pro illis acquirendis succensae, ad majora in dies invitentur, ac evehantur. Faxit utique Deus Optimus Maximus; quo & Studentes propositum, & Respublica finem, & objectum Pragmaticae, & Ego desiderium, omnesque scopum eximium consequemur. Si tua dignum non iudices approbatione; veniam tamen non dedignabitur Adolescentum proficiendorum animus. Valeas deprecor Deum iterumque ut valeas, teque incolumem sospitemque servet.

PRIN-

PRINCEPS THESIS I.

**Q**uotquot Conclusiones aut afirmativas aut negativas in Paratithla ad Summ. Pontif. Greg. IX. quinque Decretalium Libros Andreas Vallensis J. U. D. Lovaniensis Litterariae Universitatis Professor produxit, propugno; salvis semper manentibus in hac, & quae sequuntur Thesisbus nostri Hispaniarum Regni Sanctionibus.

P. T. II.

Theoremata quoque defendo, quae in sua itidem Paratithla ad eosdem quinque Decretalium Libros adfert Innocentius Cironius J. U. P. Academiae Tolosanae Cancellarius.

P. T. III.

Propugno etiam Canonicas Institutiones, quas in quatuor Libros partitas depromit Joannes Paulus Lancelottus, singulari methodo concinnatas.

P. T. IV.

Defendo Juris Publici Elementa circa pacem & bellum á Don Josepho Olmeda & Leon, Collega majori Conchensi in duos tomos Matriti anno 1771 edita.

P. T. V.

Plurima sunt in Decretalium collectione S. Pontif. Greg. IX. comprehensa, quae nostris in Hispaniis nequeunt effectum sortiri, neque usu recipi; de quibus sciscitatus dicam.

A

P.

P. T. VI.

Textus omnes , è quibus quatuor Libri Imperialium Justinianaeorum Institutionum coalescunt , aequaliter tuemur.

P. T. VII.

Arnoldi Vinnii Assertiones , quas pro quatuor Imperialium Libris exponendis expolivit , reipsa defendo.

P. T. VIII.

Oriolanam Synodum tertiam celebratam sub Ill.<sup>mo</sup> ac Rev.<sup>mo</sup> Dño. Fratris Acasio March de Velasco hujus Dioeceseos Episcopo ab Augustissimo D. D. Philippo Hispaniarum Rege hujus nominis quarto approbatam , similiter propugno.

P. T. IX.

Selectam de Conciliis generalibus materiam atque disciplinam in decem Capitibus Libri secundi praenotionum Canoniarum allatam à Joanne Doujat , Antecessorum Parisiensium ac Regiorum Professorum Primicerio , propugno.

P. T. X.

Librum quartum laudati Joannis Doujat suarum praenotionum Canoniarum viginti quatuor capitibus concinnatum , propugnemus.

P. T. XI.

Ultimum celeberrimum Concordatum super Beneficiorum tum Majorum tum Minorum provisione per Sanctitatem eruditissimi Summi Pontificis Benedicti XIV. , & Regiam Augustam Majestatem D. D. Ferdinandi Hispaniarum Regis hujus nominis sexti , modo simili defendo.



( III )

P. T. XII.

Episcopatum atque Tonsuram Clericalem prout expriment Canonistarum series Ordines quidem esse à septem aliis distinctos, propugno.

P. T. XIII.

Juris disputationes decem uno libro comprehensas de variis Romanorum dispositionibus, per admodum eruditum Gregorium Majansium Generosum Antecessorem Valentinum, tueor.

P. T. XIV.

Breve expeditum à Sanctissimo Patre S. Pontif. Urbano VIII. anno 1635. super Episcoporum residentia in iis, quae non sunt consona S. C. Tridentini capiti primo sess. XXIII. extat in nostro Hispaniarum Regno supplicatum.

P. T. XV.

Bullae, quae expediuntur Romae conformes Praesentationi, faciendae per nostri Hispaniarum Regni Augustissimos Reges ad ejusdem Praelatias, afferendae sunt ad Supremum Camerae Senatam, ut videantur, & executioni mandentur, si exsequibiles sint.

P. T. XVI.

Similiter defendimus, omnia omninò Brevia, sive Rescripta, Regulas, atque Observantiam generalem continentia, quae Romae expediuntur, praesentari debere in supremo Camerae Senatu ut executioni mandentur, si Regaliis, Hispaniarum Legibus, earumque consuetudini legitima non sint oppositae; de Bullis, Brevibus, atque Rescriptis, etsi per personas particulares obtineantur, si implicent directam, indirectamve derogationem S. C. Triden-

ti-

tini , Disciplinaeve Ecclesiasticae in nostro Hispaniarum Regno receptae , aliorumque in Leg. XXV. T. III. Lib. I. Novissimae Compilationis recensitorum , continentur ; idem esto iudicium.

P. T. XVII.

Historicam Synopsim Ecclesiae tertii saeculi , quam adduxit Reverendus admodum Pater Joannes Cabasutius in opere notitiae Ecclesiasticae , & Conciliorum , defendo.

P. T. XVIII.

Facultatem competere Regibus Catholicis ratione juris Protectorii vim declarare illatam Vasallis per Iudices Ecclesiasticos in Litibus , quae coram his progrediuntur , similiter propugno.

P. T. XIX.

Votum simplex castitatis legitimè emittunt qui septem annorum egerint aetatem.

P. T. XX.

Principalissimum Decimarum negotium non à jure Divino , sed à positivo originem trahere , defendo.

P. T. XXI.

Quamquam Filius familias , suo reluctantante Patre , plurima facere sit impeditus ; potest tamen liberrime eligere Sepulturam , in qua ejus cadaver valeat sepeliri.

THESES AD JUS PUBLICUM PERTINENTES.

- I. **J**US Publicum eas sanctiones adpellamus , quibus Imperia Regna Reipublicaeve ad sua utuntur regimina , reciproco stabilitas consensu.
- II. Hinc Jus Publicum positivum in Voluntarium , Consuetudinarium, & Conventionale partiti fuere Pragmatici.
- III. Gentium Nationes sicut nullibi sunt sociali felicitate potitae , nisi cum Authoritatis publicae subfuerint regimini ; ita ab Aristocratico , Democratico declinare , aut à Monarchico compotes non erunt.
- IV. Monarchicam Gubernationem longè latèque caeteris sublimiorem , ac perfectiorem autumo.
- V. Regnorum Majestas nec tributorum solutione deprimitur , nec deauthoratur praestatione Feudorum.
- VI. Potissima Nationum obligatio est , propriae conservationi totos animi sensus , nervosque contendere ; & ea latissimè pellere , quae sive minutionem , sive destructionem noverit allatura.
- VII. Omnes omnino Cives , Regni cujus incolatu fruuntur maxima perfectione donari satagunt ; conservatione perfrui , & incremento curantes.
- VIII. Quaevis Societas politico-civilis debet publicam statuere Authoritatem , quae & ad ordinem communia redigat negotia , & uniuscujusque nexus ad bonum publicum spectantes praefiniat , & sibi obediri facere minimè sit ignara.
- IX. Fundamentale regimen modum determinans , quo publica Authoritas exerceatur , Status constitutionem efficit.
- X. Ordinis stabilitio , quam Natio sibi proposuerit nanciscendis publicis utilitatibus , quarum intuitu Civilis Societas sancita fuit , dicitur Constitutio status.
- XI. Laudata status Constitutio & formam quâ Natio uti corpus sese gerat politicum commostrare ; methodum & Magistratus , quibus Populus subsit regimini , exhibere ; jura vinculaque eorum , qui sunt Civitates recturi ; tenetur , patefacere.
- XII. Sicut publicae Authoritatis prima , & praecipua sunt munia , civiles regere societates ; ita ipsissimam Leges condere , characteristicum esse putamus.
- XIII. Clariores fieri Leges , eas interpretari , verumque promere earundem sensum ; nulli nisi publicae Authoritati fas est.
- XIV. Hae Nationum Leges , quae status Constitutionem eformant , Fundamentales ; eae vero quae singulorum jura , obligationes privatorum praefiniunt ; Civiles nuncupantur.
- XV. Quò conformiores sint Leges , praesertim fundamentales , populorum indoli , eorumque circumstantiis ; eò majori perfectione donantur.
- XVI. Eâ claritate debent utraque Leges potiri , quâ sufultae , non egeant interpretatione frequenti.
- XVII. Si abrogandi , derogandique Leges quaesieris Authoritatem ; in eo , cui ipsarum condendarum insit , certè quidem invenies.
- XVIII. Parum absdubio referet pulcherrima Legum conditio , si earundem religiosam Judices non curaverint observantiam.
- XIX. Ut omnium sceleratissimum puniri debet crimen , quod contra publicam Authoritatem contigerit , perpetrari.

XX. Hinc laesae Majestatis crimina omnium sane teterrima autumantur delicta , quae sacrilegè homines perditissimi aliquando committunt.

XXI. Reges sicut per Deum regnant , ita super Regni statum , ejusque felicitatem invigilant : & ea propter , corda & animas Reipublicae eos adpellitat Sapiientissimus Rex Ildephonsus.

XXII. Sicut publicâ Authoritate translata in Reges aut Imperatores totum Regnum ac Nationem representant ; ita Regi est proprium potentia , & majestate Vasallos , eorumque jura , & obligationes tueri adversus externos.

XXIII. Semper Vasalli debent Legibus submissè admodum obedire ; quorum obligatio debet esse sedula mandatorum Augustissimi Regis executio.

XXIV. Adeo egregia est benignitas Regum , qui nostras Hispanias moderantur , ut plurimis in casibus ad eosdem representari sinant , ut Regalis animus melius instructus, Sancitorum benignior prodeat intelligentia.

XXV. Quod defendimus de obedientia Vasallorum , debitâ circa Regum mandata ; pariter tuemur , proportione servatâ , de Regalium Ministrorum Praeceptis.

XXVI. Perfectius est Regnum , quod Princeps haereditate nanciscitur ; quàm quo Vasallorum potitur electione.

XXVII. Cum Princeps ad thronum conscenderit minori in aetate constitutus ; ad Imperii , Regnique habenas Regens providè eidem constituitur.

XXVIII. In nostro Hispaniarum Regno , Principis in minoritate relicti Supremus Castellae Senatus , natus est Regni Tutor.

XXIX. Qui vel verbis tantum Sacram Personam Regis , ejusve Ministerium offenderit ; luere debet poenas ut laesae Majestatis reus.

XXX. Merito quidem Augustissimos Reges , Domini Exercituum Vicarios in temporalibus , nostrae Hispaniarum leges adpellant.

XXXI. Omnium facilè princeps Regiminis perquam laudandi scopus , absdubio debet esse , Religio.

XXXII. Augustissimam Religionem submissè adorare , colereque tenemur ut in Doctrinâ ad Dei , Deiparae , Sanctorum , Angelorum , eorumque cultus ; aeternitatis , aliorumque id generis nitentem.

XXXIII. Interiorem & exteriorem servare debemus adorandam Religionem , per intrinsecos actus , & exercitium extrinsecum.

XXXIV. Deum noscerè , amare , ac revereri totâ mente , totâ animâ , toto cordis affectu homo nedum tenetur ; sed & signis id ipsum exhibere externis obstringitur quicumque Civis.

XXXV. In Regnis Rebusve publicis , in quibus Cives sunt compotes eam amplecti , ac colere Religionem , quae illis tutior videatur , ( utinam ubique gentium sit nostra , faxitque D. O. M. ) taliter debent id expedire , ut exercitio propriae minimè obsint exercitationi aliarum.

XXXVI. Cum Natio certam Catholicamve colere decrevit Religionem , nulli Civium fas est in eadem , sub aliâ vitam agere , & divertere à propriâ.

XXXVII. Mitius puniendi sunt Gentiles , aut Mauritani in rebus nostrae Catholicae Fidei delinquentes , quàm in eisdem relabentes haeretici.

XXXVIII. Sicut erga Religionem pura , & integra pietas ab omnibus debet commendari , ita falsa , atque fictitia acerbis poenis puniri.

XXXIX. Proprium est Regis Augustissimi Authoritatisve publicae super his invigilare , transgressoresque debitas poenas luere.

XL. Similiter justitiam in Regnis religiosè , ac debitè administrari proprium est Juris publici objectum.

XLI. Non potest debitè administrari justitia , quin Natio Regnumve

ve & polleat justissimarum Legum congerie , & statuta jura suos effectus sortiantur.

XLII. Nedum Leges , quas prima principia , jus naturale , ac gentium implicare noscuntur , congruunt Populorum regimini ; verum & coercendis flagitiis ( quae , plusquam par erat inter homines , serpunt ) prorsus necessarium est Sancitorum positivorum complexum.

XLIII. Stabilita jura debent executioni mandari , quamquam in usu non esse posita dicantur.

XLIV. Leges positivas valent Principes variare , aliis subinde sancitis , vel non : ut frequenter evenit Regnis atque Nationibus.

XLV. Privilegia dum conceduntur , non debet aut causa publica experiri laesionem , aut societas civilis gravamen.

XLVI. Non ante Lex positiva Subditos constringere incipit , quàm publicata sit debitis solemnitatibus.

XLVII. Cum Princeps per se immediatè nequeat totius Regni causas noscere , easque judicialiter finire ; opus eidem est Tribunalium , Judicumque creatio.

XLVIII. Judices aut Ordinarii sunt ad primas instantias creati , idcirco inferiores ; aut superiores secundarum , aut deinceps instantiarum adepti notionem : de horum divisionibus rogatus , dicam.

XLIX. Quamquam nostri Regni Augustissimi Reges à Monarchiae exordio Consiliarios habuere , quibus consulti pacis , bellique negotia decrevere ; Senatus tamen forma ad annum usque 1395. per D. D. Joannem hujus nominis primum statuta non fuit.

L. Supremus Senatus , qui Regiminis Castellaeve nuncupatur , coaivit primo bisseis Ministris ; horum quatuor Praelatis , quatuor Equitibus , & Civibus quatuor : queis ad annum 1397, quatuor alii Togati aut litterarum superadditi fuere ; quorum duo Regiam Majestatem in itinere comitarentur , & reliqui Populorum petitiones nostris Regibus significarent.

LI. Cum Negotia , quae Reges aut Imperatores cum Vasallorum aliquo , super re familiari litigant ; debent secundum Regni Leges judicari ; quemadmodum statuere Catholici Hispaniarum Reges.

LII. Consonum est distributivae justitiae ut merita Vasallorum praemio convenienti donentur , eos proponendo vel ad Dignitates , vel ad armorum , aut litterarum munia : quod proprissimum est Supremi Tribunalis , Camerae adpellati anno 1528 ab Imperatore D. D. Carolo V. erecti.

LIII. Publicae Potestati & Regis , & hujus Ministrorum competit Insontium punire delicta.

LIV. Judices in puniendis flagitiis nec clementiores , nec rigidiores Legibus debent esse ; sed secundum eas judicare , poenas commensurantes delictis.

LV. In poenis applicandis procliviores debent esse Magistratus pietati , quàm crudelitati , ut criminum potius correctionem , quàm ultionem amare videantur ; lege non obsistente.

LVI. Delictorum perpetratores ( paucissimis demptis ) benignitate in Hispaniis puniuntur ; & D. D. Philippi II. Sanctione Matriti sexto Calendas Apriles anno 1569. statutum fuit , quod ultimo supplicio damnatis ministretur in Viaticum Sanctissimum Christi Domini Corpus pridie , quam paterentur.

LVII. Etsi Principi penes quem residet Authoritas publica , proprium sit Vasallorum causas noscere criminales ; tamen ne Patris indumentum exui videatur ; delatum est hoc munus Regalibus Ministris.

Et

LVIII. Etsi Reges aliquando Tribunalibus adfuisse pro ministranda justitiâ ; non tamen id obire personaliter tenentur : si tamen intersint, magis misericordiae , quam Legum rigori erunt judicaturi.

LIX. Principes qui reunire justitiam , & misericordiam in Regno certe quidem sint concii ; gloriam maximam , ac felicem Nationis tranquillitatem adipiscuntur.

LX. Compar est Juris publici scopus civilis disciplinae observantia, ut status felicior habeatur , & vigeat.

LXI. Vigilare debent Magistratus ut in Populis , quorum habenae ipsi demandatae fuere , rectus ordo , subordinatio , pax , atque concordia inter Cives elucescat : Et similiter quod Populi pulcritudine , ac aedificiorum aspectu , callium rectitudine , incendiorum remedio , aedulium ubertate , & viciniorum denique securitate quam maxima sint praediti.

LXII. Nec eo solum consequitur civilis disciplinae felicitas ; nisi è Populis homines non frugi pellantur , & armorum usui , Regnique praesidiis applicentur.

LXIII. Cum Authores infamatorii libelli pacem publicam vel maximè evertant , debent severissimè talis delicti poenas luere.

LXIV. Populorum Deputati , Mandatarii ac Syndici Procuratores generales ut publicae utilitati prospiciant ; esse pervigiles , & damna illi imminetia , ut declinentur , significare debent.

LXV. Duella non modicum adferunt hominum societatibus detrimentum ; & ideo Duellatores & offerentes , & acceptantes sint , durissimam poenarum punitionem accipiant.

LXVI. Qui causam dederit unde Duellum sequatur , plectitur ut publicae societatis perturbationis reus.

LXVII. Allatis Juris publici elementis , finitima est Populorum sedulas instructio juventutis educationis ope.

LXVIII. Sicut Puerorum animae in eorum tenerrimis annis aptissimè noscuntur , ut in eis boni , malive semina imprimantur ita è Juvenum salubri disciplinâ Nationum felicitas proficiscitur.

LXIX. Quia Parentes aliquando negotiorum moli ; aliquando constitutionis propriae miseriam ; aliquando intemperatâ filiorum dilectione pressi ; probis disciplinarum Magistris Natos tradere conspicimus negligentes : praecipua debet esse Magistratum cura populis inesse Magistros ac Cathedralicos & virtute praeditos , & scientiis certè peritissimos , ut juvenes valeant erudiri.

LXX. Debent Principes suis curare in Ditionibus Collegia erigi , aut juvenum Seminaria , in quibus utriusque sexus Alumni optimas quasque Artes , ac scientias perdiscentes , & sibi proficiant , & publicae Regni consulant utilitati.

LXXI. Hoc status Axioma adeo vicens est in nostro Hispaniarum Regno , ut omnis penè Disciplinarum generis praecipuos ejus Populos Seminariis vidimus seminatos : exemplar videris optimum in nostrae Civitatis Purissimae Conceptionis , Divique Michaelis Archangeli Collegio-Seminario per D.D. Joannem Eliam Gomez de Teran olim ipsius Dioeceseos Episcopum meritissimum , erecto à fundamentis ; ex quo plurimae Ecclesiarum Cathedralium , ac Collegiatarum Sedes & Canonicis , & Dignitatibus , & Dignissimis Episcopis certè quidem sunt plenae.

LXXII. Potissima Civium occupatio debet esse in Legum sui Regni creberrimo studio : & hi qui Hispaniarum felici fruimur incolatu , hispanicis juribus toto animo tenemur vacare ; & Romanis solummodo eo

pac-

pacto , quod indicant Sapiientissimus Rex D. D. Ildephonsus , caeteraeque Pragmaticae Sanctiones.

LXXIII. Utilius beneficio publico consulere , si civilis jurisprudentiae fere omnes litterarum Universitatum Cathedrae , ejusque Magistri in Hispanico fundamentalis , ac privatorum jure edocendo , laborarent.

LXXIV. Si Nationis , Europae , ut minimum historia ; si Geographiae , Rethorices , Jurisque publici notitia ; si Pontificii Juris , ac Ecclesiastici disciplina Civi Jurisprudenti deficient ; etsi caetera calleat , impar est publicis Reipublicae ministeriis subeundis.

LXXV. Nec scientiarum Magistratus precise debent ambire incrementum ; sed & nobilium Artium , atque mechanicarum aucionem : ita ut , si opus fuerit , Cives ad extera Regna mittantur , ut in eis eruditi , Socios compari eruditione valeant cumulare ; ut efficit Regia Sancti Ferdinandi Academia Romam , Parisios , aliasque ad Europae Civitates Alumnos pensionarios , mittendo.

LXXVI. Debent insuper Concives instrui , & miris inspirari modis , ut vitia acriter expugnentur , & virtutum servare tempora redimita laureis.

LXXVII. Amor Patriae adeo Civium corda possideat , ut pro eâ optulandâ se , & sua vel ultimo discrimini objici sint parati.

LXXVIII. Ut Nationum monstra hi hominum teterrimi odio habentur , qui Patriam vel periclitantem armis oppugnant ; & poenâ capitis , & infamiae notâ inuri promerentur.

LXXIX. Quod Regnum singularis peritiae tenuerit operarios , poterit ad exteras Nationes , suae artis exercendae causâ , eorum exitum cohibere.

LXXX. Aratorum culturâ saepissimè Regna felicitate donantur : illorumque sudores nedum variis auxiliis , verum & praemio non exili condigni judicari debent.

LXXXI. Privilegia quam maxima & personalia , & realia Agricolae promerentes , in nostro Hispaniarum Regno ex variis Recopilationis Legibus sunt consecuti.

LXXXII. Ad Coelos usque pristinus ille mos extolendus venit , publica granorum exigendi Deposita , quibus egentes Populi provide succurrantur.

LXXXIII. commercium sive interius , sive exterius inspexeris nec quintum politicè non esse elementum ; nec Ditiones reddere felices desinet.

LXXXIV. Quin prior caeteris nostra Hispaniarum Natio commertii causâ sese undis tradiderit ; nemo opinor ambiget.

LXXXV. Nulla Terrarum compellitur , ut alterius aut emptione , aut permutatione accipiat aedulium , aliusve generis species.

LXXXVI. Monopoliorum usus in hominum commercio è terrae , marisque debet exulare commercio.

LXXXVII. Quod est abs Spiritu animaque corpus ; ipsissimum est abs pecuniâ commercium : sic dicta à *Pecudis* imagine , quae primis temporibus in eâ imprimebatur.

LXXXVIII. Moneta sub autoritate ac nomine Principis cudi debet ; & quod ejus materies in suâ apta sit qualitate valori , quo donatur , extrinsecus.

LXXXIX. Qui sine Regis autoritate Monetas cudi tentaverit , supplicii ultionis poenas luent , & horum cadavera igneae ustioni traduntur.

XC. Cambii Litteris mirum in modum hominum commercia crevere ;

re ; nedum in nostro Hispaniarum Regno , sed ubique terrarum.

XCI. Quia itinere publico perfecto , omnibusque numeris absoluto , exteri facilius de suo ad nostrum Regnum , & nostri ad exterum agunt vias : debent Magistratus vigilare quàm maxime , ut itinera tuta sint , commoditate praedita , & Pontium fabricis expedita.

XCII. Valent contributioni cogi Viatores per aedificia transcurrentes , sumptuum in eorum constructione solutorum.

XCIII. Maris in altum quicumque filius editus , ejus Nationis superinduit naturam ; cujus sit Navis sub qua vitales auras carpere prodierit.

XCIV. Etsi nequeat Civis propriam derelinquere Patriam ad alienam transiturus ; nihilo tamen minus , id effici fas est certis quidem in casibus.

XCV. Civis qui ob gravia scelera praesidiis amandatur , deportatus dicitur , & maximam capitis minutionem passus.

XCVI. Quanquam ab uno Regno relegatis , in aliis non debeat denegari habitatio ; aliquando tamen prudentèr inhibetur.

XCVII. Felix non erit Natio etsi divitiis affluat , cum vi armata , inimicorum invasionibus liberanda caruerit.

XCVIII. Nec ea erit solum felicitate contenta , sed virium finitimorum Regnorum notio ipsi penitus est necessaria.

XCIX. Hominum frugi maximoque Civium numero sortiri Nationem apprimè juri publico congruit : hincque ipsorum Matrimonia , ut in nostro accidit Hispaniarum Regno ; eximiis debent donari privilegiis.

C. Princeps debet Regni Nationisque Gloriam & audacter assequi , & adeptam pro viribus servare , sustinereve.

CI. Hi omnes Cives qui jus quippe habent ad communia bona ; ad eorum conservationem contribuere pelluntur.

CII. Dedecet optimos quosque Cives ea in bello , & pace non aggredi facinora egregia , quorum assecutione & sibi , & familiae , & charissimae Patriae honoris ac gloriae nomen nanciscantur perpetuum.

CIII. Princeps cum rerum Publicarum Regni dominio polleat eminenti , & Pater Populi , & Judex , & Conservator est , & venerari debet.

CIV. Laudato munere , quod Reges augustissimi obeunt , tributa imponere , Monetarum praecipere cusionem , indicere bellum , inire pacem , creare Magistratus , aliave facere consimilia sunt compotes.

CV. Majoratum Vinculorumve institutio ad Coelum usque evehit desiderandum Nationis splendorem , ac vivere Nobilitatem.

CVI. Flumina , & Ripae fluminum publici juris sunt ; cumque duas inter Nationes sint ; neutra opus efficiet , quo seu alterius usus , seu navigatio impediatur.

CVII. Adeo naturae terminis maria circumscribuntur , ut nullum Regnorum maris usus dominia hucusque regulariter fuerit consecutum.

CVIII. At maris littora aliqua proprietatis jura perpeti noscuntur : & illud spatium littoribus finitimum quod sub regni tormenti bellici jurisdictione conspicitur , pars aestimatur ejusdem territorii.

CIX. Pereuntium res , quae in mare ejiciuntur , non ante occupantis fiunt , quàm si earum dominus ignoretur , aut pro derelictis linquantur.

CX. Ea telluris portio , quae cujusvis Nationis occupatione capta,



ta , ejusdem terminis circumclauditur , ad ipsius attinet dominium.

CXI. Justissimam pertuemur Regnorum possessionem , quam in Americâ Augustissimi nostri Reges , aut Christophori Colon , aut aliorum ministerio sunt nacti.

CXII. Gentium status adeo inermis ut propriis viribus sese defendere nequeat ; Regno validiori subjicitur , protegendus.

CXIII. Triplici modo valet status hiccine potentioris subesse regimini ; aut supremâ Authoritate manente , certos tamen ad casus deminuta ; aut penitus supressâ ; aut ad protegentem aggregata prorsus , ita ut utriusque Cives compari fruantur privilegio ; quemadmodum de Romanis ferunt , Hispaniarum respectu.

CXIV. Protectrix , protectaque Natio pactionis suae placita adamsim , perpenso jure publico , servare obstringuntur.

CXV. Parum sanè refferret regimen Nationis interius propriis Legibus esse regulatum , ni vicinarum observando jura , propugnaret illaesa manere propria , humanitatis officiis consultura.

CXVI. Cum sive pesti grassante , si horrido terremotu , sive diris incendiorum flammis Natio aliqua praemittitur ; exactissimâ omnium diligentiam oppitulari debet à vicinis.

CXVII. Sicut non licet Civibus adversus alios ejusdem Nationis infamatoriis uti libellis ; ita Nationes adversus alias dedecet injurias , convitiisque conscribere.

CXVIII. Commertium inter gentes debet esse liberrimum , si juri publico inhaerere velimus ; ni Status ratio validissima obstet.

CXIX. Nationes , quas inter circumierit Commertium , debent apud alias suos mittere , servareque Consules ; qui super proprii Regni jurbus vigilantes , subortas definiri curabunt diferentias , ac jurgia.

CXX. Quibus insit Nationis authoritas suprema , dignitatem , ac propria privilegia à caeteris servari satagent illaesa.

CXXI. Exploso à cultissimis Principibus Divi , aut Divinitatis cognomine ; quo ab aliis sedulò secernantur , Majestati adferunt honorificum : hinc Hispaniarum Catholici , Galliarum Christianissimi , Bohemiae Apostolici cognomine adpellitantur Reges.

CXXII. Principum Personae naturali adhuc libertate deperditâ belli calamitate , debent omnium maximo respectu ac veneratione tractari ; ut effectum fuit Matriti cum D. D. Francisco Galliarum Rege hujus nominis primo , victo ab Hispanis in celebri Paviae praelio.

CXXIII. Dum Natio publicam cum aliis initam fidem fregerit dolo malo , uniri debent caeterae , à jure publico deviantem acriter persecuturæ.

CXXIV. Castellae, Aragonum, Vasconiaeque Reges anno 1212. Mauritianos hac de causâ invasere , propugnare , destruxere.

CXXV. Cives unius Nationis si ab aliâ offensam experiantur , debet illa ab hac Nationis dignam exigere satisfactionem , eamque obtinere.

CXXVI. Natio , cujus sit Civis , alterius Cives offendens , plenè satisfecisse credetur , traditione offendentis , dignas pro crimine poenas luituri.

CXXVII. Penes Principes semper sunt super Vasallorum bonis dominia eminentia , caeteris dominiis speciebus apud hos remanentibus.

CXXVIII. Rarò in marium littoribus permittenda est exterorum conferta habitatio ; rarius aedificiorum constructio ; rarissimè munimen ; nè  
quod

quod Majoribus nostris cum Carthaginensibus in gaditanâ contegit tel-  
lure , similimum eveniat.

CXXIX. Etsi propria Regio infoecunda credatur , non propterea  
relinquenda deserta per ejusdem Cives ad Nationem alteram permeantes.

CXXX. Juri publico valde consonum est ; quod propria itinera à  
Vicinis compingantur , si dirui , & destrui contegerit.

CXXXI. Alienigenae ad aliorum Regnum pervenientes justa ac ra-  
tionabili causa excitati , gratissimo recipientium animi hospitari debent  
ajectu.

CXXXII. Grassante dira fame Cives cujusvis Regni devoraturâ , Na-  
tiones convicinae maximis pro affluentia subsidiis illi debent opitulari.

CXXXIII. Si Regnum mulieribus caruerit , cum quibus illius Ci-  
ves verum Matrimonium ineant ; depromet ex finitimis.

CXXXIV. Ast Matrimonii vinculis Mulieres reluctantes vinciri non  
debent , earum voluntate opugnata , nec hujusmodi hominibus concedi.

CXXXV. Si Navis effussis imbribus , stridente vento , coelo mari-  
que agitata tumefactis undis Portum arripere tentat ; excipienda est hu-  
manissimè , si exitiosam luem faventibus , non sit allatura.

CXXXVI. Nedum Nationis gentibus jura competunt , quae usus ne-  
cessarii dicuntur , verumet ea insuper , quae usus vocamus innocentis.

CXXXVII. Extranei priusquam in aliorum Regnum fuerint ingressi ,  
& tacitas , & expressas condiciones quasdam religiosè offerunt adimplere.

CXXXVIII. Si tales homines ultima velint elogia celebrare ; Leges  
suae Nationis in substantialibus , at in solemnitatibus Regni , quod in-  
habitant , observabunt.

CXXXIX. Gravia negotia plures inter Nationes ineunda , aut per  
earum Principes immediatè geruntur , aut per horum Legatos , specia-  
lium Mandatorum ope.

CXL. Nec sat erunt laudata celebrari negotia per Legatos Manda-  
tis specialibus intervenientes , ni Principum , quorum nomine inter-  
fuere accesserit Ratihabitio.

CXLI. Diversitas cultus Religionisve differentia non obest quomi-  
nus varias inter Nationes Pacis foederisque tractatus publici celebren-  
tur.

CXLII. Nullae gentium Nationes Hispanis fideliores fuere in publi-  
câ observantiâ tractatum ; potius vitam resque familiares parvi facien-  
tibus , quàm fides non staret promissis.

CXLIII. Super his , quae ad Nationes spectant juris gentium ratio-  
ne , nedum salubre , verum & necessarium est aliquando publicos ce-  
lebrari tractatus : etsi saepissimè etiam circa negotia positivum jus re-  
dolentia , paciscatur.

CXLIV. Publici reales tractatus permanent praemortua ineuntis per-  
sonâ ; cum personales finiantur , adveniente paciscentis interitu.

CXLV. Cum exercitus Imperator aliaeve consimiles personae cum  
alius aciei Duce tractatus aliquos celebraverit , mandati terminos non  
est transgressurus.

CXLVI. Si privatorum contractibus praestanda est bona fides ; jure  
quidem optimo in publicis pactionibus requiretur praestatio.

CXLVII. Nec absente Justissimâ causâ per paciscentes promissa ul-  
lis terminis frangenda sunt.

CXLVIII. Pro observantiâ publicorum tractatum usus invaluit , Na-  
tionem alteram , ut fidejussorem admittere.

CXLIX. Rege aliquo , aut Natione obligatâ alteri compellendae,  
ut

ut pactiones proprium sortiantur effectum ; *Garantia* vulgò intervenire dicitur.

CL. Quaecumque nobilitate suffultae fuerint unius Regni Personae dari obsides minime excusantur ; hacque conditione manere , donec publici Pacis tractatus finiantur : ut in nostro evenit Regno Filiis Francisci Francorum Regis hujus nominis primi , Matriti perstantibus.

CLI. Obsides nullo poenarum afflictionisve genere affiendi à privatione libertatis distincto usque dum per Regnum inter utrumque ineatur.

CLII. Publici tractatus cum inter Regna expressè aut tacitè renovantur , Treugam iniri intelligimus.

CLIII. Potissimum Nationum interest publici juris Regulas adamusim servari , & foederis optandi vinculis redimiri.

CLIV. Cum duas inter Nationes graves fuerint differentiae subortae ; aut aliarum mediatione , aut transactione , aut Judicum Arbitrorum nominatione solent resecari ; si tamen haec media inutilia reddantur , sive nequeant positae aptari circumstantiis , Armis sunt decidenda negotia.

CLV. Nationi offensae , cui per offendentem non fit satis , superque ; in ejusdem rebus licent Represaliae experiri.

CLVI. Omnia privatorum bona ad Regnum offendentis attinentia , occupari possunt ab offenso Represaliarum jure.

CLVII. At particulares personae Nationis offensae immunes captivonis sunt , ut exercentur Represaliarum jura.

CLVIII. Bellum malorum certè maximum quod valet Populis suboriri , tentari non debet à Nationibus , ni pacis deperditae consequendae gratia.

CLIX. Justum Bellum ( quod semper debet esse justum ) ut ineatur indicere fas est Principibus , debita solemnitate per jus publicum statutà.

CLX. Prima Orbis aetate ab omnis status hominibus Bella gerebantur ; ut de Abrahamo Patriarcha quatuor Reges vincente , legimus.

CLXI. Nostris tamen temporibus gravissimam necessitate absente , politiores Nationes quosdam homines seligunt inter caeteros armorum usui variis qualitatibus aptos. His de requisitis complures in Hispaniis statutae fuerunt Ordinationes , quae vulgò *de Quintas* adpellantur.

CLXII. Senes , Pueri , Infirmi , Mulieres , aliaeque personae Hispaniarum Legibus militari servitio eximuntur ; sicuti & Clerici suo privilegio gaudentes ; item & Religiosi , nisi certis in casibus , uti contra Fidei hostes dimicaturi.

CLXIII. Dato Militiae nomine , ac fidelitatis praestito juramento eam nequeunt deserere Milites , quin gravium poenarum efficiantur Rei.

CLXIV. Interius Bellum exteriori longè lateque gravius , variis potest provenire de causis ; de quibus rogatus , dicam.

CLXV. Exterorum neutralitas eo est in Bellis laudabilior , quò in interiori Vasallis est detestabilior ; ut jam jam moriturus Enricus II. innuit Principi Joanni postmodum Regi hujus nominis primo.

CLXVI. Bellum ut justum aestimetur , tres ut minimum debet implicare causas ; de quibus in Circo dicam interrogatus.

CLXVII. Cum causae invitantes ad Bellum sint prorsus indifferentes ac dubiae ; num aggredi Bellum sit licitum ? in varias opinioniones efficit Authores Publicistas partiri : Negativam tuetur communis Doctorum opinio , cui nos libenter subscribimus.

CLXVIII. Quamquam curari debet Nationum aequilibrium , indicere

tamen Bellum adversus harum aliquam eo solum quod dives sit, nimisque divitiarum praedita; nefas esse opinamur.

CLXIX. Potentia, quae alteri Bellum indicit absque justa belligerandi causâ, malorum exinde secutorum satisfactioni obstringitur.

CLXX. Antequam Bellum offensivum inchoetur inter Nationes cultas est penitus necessarium, illud indicere, aut publicari, non ut quondam mediis armorum Regibus, sed Monitorii instructivi ministerio.

CLXXI. Indicto Bello, exteri, qui in terris Potentiae indicentis existunt, debent sub praefinito termino ad proprias fieri reduces; ni justè timeatur de adversariorum ex temporaneâ aliquâ incursione; etenim hoc in casu tenebuntur Represaliarum jure.

CLXXII. Omnes sanè personae, quae potentiae subdunt, contra quam Bellum geritur, inimici status judicantur.

CLXXIII. Res cujuscumque generis, quae à belligerantibus occupantur, fiunt jure belli potentiae, cujus sit occupatio.

CLXXIV. Inimici belligerantes possunt vel ultimo supplicio puniri: at Expeditio, quae vincenti summissè arma obtulerit, humanitate quàm maximâ pertractanda est.

CLXXV. Propugnaculi Gubernator, qui ad ultimum usque extremum suum defenderit praesidium, si aliqua expectasset subsidia, capite plecti non debet.

CLXXVI. Milites propria relinquentes Vexilla, qui apud victos hostes inveniuntur, ultimo tradentur supplicio: idcirco inter utramque potentiam Capitulatione factâ, coopertis curribus, solent personae hujusmodi salvari.

CLXXVII. Qui justo Bello capiuntur, nefas est occisioni tradi; solentque praestito sacramento non accipiendi arma certo annorum numero, libertate donari.

CLXXVIII. Non licet belligeranti Potentiae arma, fontes, puteos, edulia, aliaque id generis, veneno infici, ut hoc modo inimici moriantur.

CLXXIX. Compar debet esse armata vis in mari, ac militum exercitus in terra ut Nationes felicitate fruantur.

CLXXX. Maritimum Bellum aut fit Regali Classi, aut Vasallorum Navibus; de utriusque differentia, effectuumque diversitate, rogatus.

CLXXXI. Res neutralium Potentiarum etsi per belligerantes apprehendantur, occupantis non fiunt.

CLXXXII. Nulli Vasallorum licet, suas Rates contra Nationis inimicos disponere, absque proprii Principis licentia.

CLXXXIII. Si in neutralitatis portus inimici Naves fuerint ingressi, non ultra protenditur, eis deprehendendis, alterius insecutio potentiae.

CLXXXIV. Etsi Potentiae neutrales in suos debeant recipere Portus belligerantium Naves; id tamen Gubernatoris Praesidii debet esse interveniente permissu.

CLXXXV. Rerum quas Neutrales Potentiae ad inimicos deferebant ab alterâ Potentia captarum, illico capientes earumdem acquirunt dominium.

CLXXXVI. Res ab Inimicis surreptae, si ab alterâ recipiantur Potentiâ, ejusdem fiunt certo temporis intervallo transacto.

CLXXXVII. Spolia victarum Civitatum vincentium fiunt, sicut ea omnia quae ex hostibus occupantur ex inito justo bello.

CLXXXVIII. Globi accensi ferri, ac ignium artificialium, aliorumque id generis cujusvis, ni adsit urgentissima causa, raro, aut numquam usus erit in Bello.

CLXXXIX. Frequens exploratorum usus , non debet non licere bel-  
ligerantibus adstante aliorum requisitorum copiâ.

CXC. Rerum immobilium , usque dum Bellum finiatur , non acqui-  
ritur per occupantes dominium.

CXCI. Si homines bello capti ab hostibus perfugerunt , jure postli-  
minii pristinam nanciscuntur libertatem.

CXCII. Cum Bello caepto reciprocè hostilitas suspenditur , si per an-  
nos , Treuga ; si per parum temporis , cadaverum sepeliendorum causâ ,  
Armistitia vocantur.

CXCIII. Treugae cum transcurrerit tempus nefas omnino est destru-  
ctae Civitatis moenia refici sive propugnacula.

CXCIV. Frequens admodum est treugae tempore obsidum unius , al-  
teriusque Potentiae benigna commutatio.

CXCV. Neutralis Potentia debet officia communia humanitatis Natio-  
ni utrique belligeranti concedere.

CXCVI. Bellum justum initum à Nationibus potissimum terminatur  
tractatibus , quae etsi victus sit Princeps , detentusque ab hostibus , pos-  
sunt ab eodem regulariter celebrari.

CXCVII. Quò obstringant Pacis tractatus , publicari necessum est : &  
cesantibus utrimque hostilitatibus , restitui debet , si quid ab eo tempore  
per utram Nationum sit captum.

CXCVIII. Inter Pacis , foederisque pactiones solent inseri ferè sem-  
per plurimi de Commercio tractatus ; de quorum specie , naturâ , & qua-  
litatibus , si interroger , dicam.

CXCIX. Vel unius capitis exitiosa infractio efficitur , ut Pacis elidan-  
tur tractatus antea celebrati.

CC. Pacis tractatus frequenter perfectione donantur mediis Legatis,  
vulgò *Embaxadores* dicti ; de quorum speciebus , deque dignitate , ac pri-  
vilegiis , quae illis , Uxoribus , Filiis , Familiae , ac famulis conceduntur ;  
sicuti & de Praeliis eximiis in nostro habitis Hispaniarum Regno , dicam,  
si fuere interrogatus.

## CONCLUSIONES AD JUS CANONICUM spectantes.

CCI. **J**US Canonicum , quod ab optimae notae Doctoribus , Theo-  
logiae practicae , aut reetricis nuncupatur Doctrina ; Nos in  
praesentiarum describimus : Positivum jus , quod ex Scripturis Divinis,  
exque regulis priscorum Patrum de rebus ad Dei cultum ac Religionem  
pertinentibus , à Pontificibus Ecclesiae Catholicae traditum , constitutum  
fuit vel approbatum ad rectam fidei , ac morum inter Christianos consti-  
tutionem.

CCII. Gratianaea Decretorum Collectio caeteris anteriori tempore in  
lucem editis , absdubio anteposenda venit.

CCIII. Gravissimas ob causas Gratianus S. Benedicti Monachus , qui  
novum Ecclesiasticorum Decretorum corpus miro adornavit ordine ; Ma-  
gister in Juris Pontificii Scolis per eminentiam vocatur.

CCIV. Tanti nihilominus habenda non est autoritas Gratianaeae Col-  
lectionis , ut Legis vim sortiatur atque vigorem.

CCV. Hinc mendis , naevisque quamplurimis Gratianaeam scaterere Col-  
lectionem per S. Antoninum Florentinum Archiepiscopum , & per Illus-  
tris-

trissimum Antonium Augustinum item Archiepiscopum Tarraconensem per quàm compertum est.

CCVI. Ante tempora Summi Pontificis Gregorii hujus nominis noni plurimas Praedecessorum Epistolas & spansas, & voluminibus collectas per Canonistarum manus cursitasse, defendimus.

CCVII. Laudatus tamen Summus Pontifex ministerio & ope sui tunc temporis unici Auditoris, & Capellani Divi Raymundi Pennafortensis ordine fuerunt concinnatae; ex eisque corpus, quod modo Decretalium vocamus, coaluisse tuemur.

CCVIII. Corpus hoc Decretalium, quin his ex fontibus rectè qua fruitur methodo tradidit Divus Raymundus, & ex Divinae Scripturae locis, & ex Apostolorum Canonibus, & ex Romanorum Pontificum Constitutionibus, & ex Conciliorum Sanctionibus, & denique ex Patrum aliorumque Aucthorum operibus, non dubitamus.

CCIX. Decretalium non Decretorum dicimus Collectionem, eo quod majorem longè numerum illarum tali in volumine pernoscamus, comprehensum.

CCX. Seriem ac methodum, quas in talis operis conditione servasse videtur S. Raymundus, simillimae certè sunt ordini ab Imperatore Justiniano, in Imperialium Institutionum collectione, habito.

CCXI. De sexto Decretalium, Clementinis, Joannis XXII. Extravagantibus, & Communibus; deque harum Aucthoribus dicam, si fuero interrogatus.

CCXII. Laudata Decretalium Collectio Pontificiam obtinet in Scolis Canonistarum Auctoritatem.

CCXIII. Principum Constitutiones praeterita communiter negotia non respiciunt; sed futurorum moderatio proprium est illarum objectum.

CCXIV. Sustine SS. Pontificum prima Rescripta, etsi alia insuper impetrentur; dummodo illorum expressa facta non fuerit mentio.

CCXV. Eae consuetudines, quae Divino, naturalive juri obsint, servari haudquaquam debent, nec Legis Pontificiae fruuntur auctoritate.

CCXVI. Episcopus unius Ecclesiae alii praefici non potest Electione; sed Postulatione, optimè non prohibetur.

CCXVII. Ad Summi Pontificatus eximiam Dignitatem evehi non potest, qui per duas Cardinalium partes non fuerit electus.

CCXVIII. Qui tamen tali summâ Ecclesiae Dignitate fuerit suffultus; Episcopus de una Ecclesia ad aliam valet dubio procul transferre; non autem hi per se, aut per Patriarchas.

CCXIX. Hi ad alias Ecclesias si transferantur, Pallio actualis, & praeteritae Sponsae induti debent sepeliri.

CCXX. At Episcopi suae Dioeceseos Ecclesiae nexui asciti; propria auctoritate, aut senectutis, aut insufficientiae praetextu haud sunt compotes Episcopatum deserere.

CCXXI. Quamvis semestri praeterito Beneficiorum institutio, collatione facta ab eo ad quem attinebat summo juris rigore sit irrita; tamen sustinenda est ex juris aequitate.

CCXXII. Sacri Ordines quatuor solum temporibus, & Sabbatis Sancto, Hebdomadaeque Passionis; minores tamen Dominicis quibusvis diebus, conferuntur.

CCXXIII. Si ignorantia justa ab Episcopo excommunicato Sacros aliqui Ordines receperunt; per Episcopum proprium poterunt dispensatione donari.

CCXXIV. Filii illegitimi proprii hac in re Superioris dispensatione absente ; ad Ecclesiasticam Dignitatem non evehuntur.

CCXXV. Praestandis ratiociniis obstrictus , nisi ratione reddita , munereque deposito , evehi non debet ad Sacros Ordines.

CCXXVI. Qui Bigami fuerint reapse , Sacris Ordinibus impotes sunt insigniri ; nec pro illorum receptione dispensationem facili assequuntur negotio.

CCXXVII. Proprio Episcopo aut reluctantante , aut inscio Clerici Beneficia , & Ordines consequi non possent ex alienae Dioeceseos Praesulibus.

CCXXVIII. Vicariam multiplicem , aut unam cum Beneficio curam animarum habentem , nullus Clericorum insimul obtinebit.

CCXXIX. Judex Principis delegatus negotium sibi commissum , aliis subdelegare minimè vetatur ; etsi secus eveniat in caeteris delegatis.

CCXXX. Personae spectatae substantia , cum causa committitur , illa pereunte , negotium expirasse creditur ; non vero ejusdem inspectâ Dignitate.

CCXXXI. Etsi collatio Beneficiorum ad Patronos attineat Ecclesiasticos , vacantia tamen in Provincia Legatorum à latere , ab iis legitimè conferuntur.

CCXXXII. Monachi vagantes citra propria Claustra , à Praelatis propriis revocandi sunt ; at iis negligentibus , illorum Dioeceseos Episcopus ad propria retrahet Monasteria.

CCXXXIII. Episcopis Summo Pontifice rescribente , ut sui Episcopatus corrigant Ecclesiasticos ; facultas data non noscitur jurisdictione exercendae super exemptos.

CCXXXIV. Cum Pupilli aliaeve personae miserabiles debito caruerint tutamine , sive patrocinio ; debent à Judice de Adbocatis pro illorum defensione , illico providere.

CCXXXV. Pacta , quae pro Beneficiis , rebusque obtinendis spiritualibus celebrantur ; nullius sunt omnino roboris , atque momenti.

CCXXXVI. Similiter Transactio minimè est admittenda super laudatis rebus , eisdem annexis , nec super matrimonialibus.

CCXXXVII. Si certos dempseris casus , Clerici & in Sacris , & in Minoribus Ordinibus constituti ; postulandi munere exsequi prohibentur.

CCXXXVIII. Procuratores , qui dominicis mandatis judicialem causam fuere prosecuti ; ab eis expensas in Lite factas repetent jure optimo.

CCXXXIX. Qui metu mortis fuerunt Monasterium ingressi , illud valent deserere liberrimè , Professione insuper non secutâ.

CCXL. Ecclesia in contractibus , ex quibus laesionem experiuntur , jure Minoris nanciscitur restitutionem.

CCXLI. Arbitrorum unius aut plurium mors , si evenerit , adeo compromissum credimus spirasse , ut ad decedentium haeredes non transeat negotii hujusce decisio.

CCXLII. Qui confessi sunt crimina , aut de illorum fuerint convicti perpetratione , puniendi sunt poenis per jura stabilitis.

CCXLIII. Si Actor egerit actione reali contra non possidentem ; absolvendus est Reus , quocum Lis haecine promotâ fuerit.

CCXLIV. Ratione rei sitae , cujus intenditur aut proprietas , aut possessio ; sortitur suum forum , qui in ejusdem sit possessione.

CCXLV. Legitimè citatus debet coram citante Magistratu causam judicialem prosequi ; nihil obstante privilegio desuper adepti.

E

Ut

CCXLVI. Ut ambiguitas litem contestandi ergo penitus evellatur; suum Actor libellum litteris exaratum porriget.

CCXLVII. Judex conventionis competens est reconventioni, in eodem Judiciorum genere, utramque causam terminaturus.

CCXLVIII. Contestatio communiter fieri debet per petitionem in jure propositam aut negantem, aut annuentem Actoris intentioni.

CCXLIX. Non contestatâ lite circa rem controverti deductam, nec sunt super eadem recipiendi testes, nec sententia proferri valet definitiva.

CCL. A Judice aut nimis breves, aut longas nimis in judicio dante Dilationes; quàm optimè poterit adpellari.

CCLI. In Feriis ad Dei honorem statutis, silere debet judiciorum strepitus (& adhuc partibus exigentibus) ni necessitas, pietatisve causa aliud exigat.

CCLII. Reo contra Actorem de spoliatione in vim actionis itidem opponente; utraque causa insimul peragetur, & spoliatione probatâ suum restitutio sortietur effectum.

CCLIII. Haereditatem petenti exceptione illegitimitatis oppositâ, illa prius discutitur, quàm principalis causa à Judice definiatur.

CCLIV. Petitorium & possessorium judicium, quin possint cumulari non ambigitur; & tunc temporis eâdem sententiâ finietur utrumque.

CCLV. Per vim spoliatus ante omnia restituendus venit, quacumque exceptione aut domini, aut proprietatis sopitâ.

CCLVI. Pendente Lite super Matrimonio, privari non debet conjux jure sibi in alterum competente.

CCLVII. Nec Lis quidem dum vertitur, res litigiosa patietur alienationem; & si nihilominus vendatur, retractus remedio prorsus impedito; alia aestimationis comparis in illius locum substitui, necessum est.

CCLVIII. Litium decissiones juribus tempore deductionis vigentibus, non privilegiis postmodum impetratis, debent esse conformes.

CCLIX. Si frugum, tellurisque, eas producentis pendente judicio, justè timeatur sive damnum, sive dissipatio, utraeque sunt sequestro tradendae.

CCLX. Confessio per OEconomum Ecclesiae facta isti noscitur est, ni re integrâ de errore quocum effecta fuit, doceatur.

CCLXI. Reus in judicio conventus edere non compellitur Actori instrumenta, quae propriae defensionis instructionem continent.

CCLXII. In judiciis duplicibus quilibet litigantium probandi munere obstringitur; obtinebit tamen, qui plenius, & abundantius id ipsum adimpleverit.

CCLXIII. Si natorum Parentes illos saepenumero filios nominaverint; pro illorum standum est Legitimitate, quin obsit posterior denominationis negatio.

CCLXIV. Acta litis ordinataria unius judicii definitivè perfecti fidem facere non prohibentur, si debito modo in aliâ producantur Lite.

CCLXV. Testibus pro veritate dicendâ pretium à neutro collitigantium erogandum, aut concedendum est.

CCLXVI. Receptiones testium, quae irrequisitâ parte, cujus intersit, producantur, fidem secundum se in judicio non pariunt.

CCLXVII. Si de consanguinitate pro separandis conjugibus in judicio peragatur, eorum consanguinei testes legitimi omnino sunt.



- CCLXVIII.** Duo, ut minimum, Testes deponere debent circa eandem rem ad ordinariam causarum decisionem obtinendam.
- CCLXIX.** Renuentes producere testimonium timore, odiove affecti, aut gratiâ collusi; deponere compellendi sunt officio Judicis accedente.
- CCLXX.** Cum Scripturae multiplices contrariae ab eodem litiganti coram Magistratibus producuntur; legitimam fidem neutrae promerentur.
- CCLXXI.** Spectatâ aliquoties Praesumptione violentâ solent Judices sententiam proferre definitivam pro criminum punitione.
- CCLXXII.** Juridicâ distictione compelli potest Creditor ad juramenti relaxationem, cujus adimpletio grave praejudicium, aut turpitudinem continet.
- CCLXXIII.** Clerici, qui pejeraverint, quo fruuntur privandi sunt Beneficio Ecclesiastico per Judicem competentem.
- CCLXXIV.** Excommunicatus, ut reus comparens in judicio; & excipere, & adpellare minimè prohibetur, eaque agere quae propriae sint defensionis.
- CCLXXV.** Parochus quadraginta annis praescribit Jus quartae, aut mortuorum contra Praelatum proprium; sicuti una contra aliam Ecclesiam.
- CCLXXVI.** A sententiâ contra jura prolatâ, adpellationem, opus non est, interponere propriâ nullitate cadente.
- CCLXXVII.** Sententiae definitivae in causis latae matrimonialibus; numquam in rem judicatam transeunt.
- CCLXXVIII.** Res inter alios acta, nequit aliis nocere, ipsisque parere detrimentum debet inter quos prollata fuerit.
- CCLXXIX.** Omnia, quae legitimâ adpellatione interpositâ, à Judice peraguntur, debent, ut attentata, elidi revocatione.
- CCLXXX.** Nec admittitur Adpellatio nisi à definitivâ sententiâ, aut ab interlocutoria vim definitivae tenente.
- CCLXXXI.** Super re per Principem legitime confirmatâ, nequit Inferior judicialem aperire notionem litemve.
- CCLXXXII.** Honestatem dedecet Clericorum arma vel offensiva deferre, adhuc iter faciendi causâ, aliove consimili fine.
- CCLXXXIII.** Immò & à fluxis vestibus, habitu inhonesto, & ornatu nimio debent sese Clerici abstinere.
- CCLXXXIV.** Nec Mulieres secum in eadem retinebunt habitatione, etsi consanguinitatis vinculo sibi copulatas, stante incontinentiae periculo.
- CCLXXXV.** Aut Clericali Tonsurâ, aut minoribus Ordinibus donati, Matrimonii celebrandi sunt compotes; minimè majoribus insigniti.
- CCLXXXVI.** Absens Plebanus à propriae Paroeciae residentiâ, ipsius privatur Officio & Beneficio; Parochia denuo providenda Pastore.
- CCLXXXVII.** Ecclesia Ministrorum destituta concursu, absentia privilegiati obstringi residentiae debent vel subtractione proventuum.
- CCLXXXVIII.** Adeo Titulus necessarius est ordinandis, ut qui eo deficiente sacros Ordines fuerint consecuti, debent percipere alimoniam ab Ordinatore, ac hujus successoribus, quousque Beneficio fruuntur.
- CCLXXXIX.** Qui studiorum causâ Ecclesiae non adfuerit, in qua obtinet Beneficium, fructus percipiet grossos, non item distributiones, quas dicimus quotidianas.
- CCXC.** Ecclesiarum Praelatis aut aegrotantibus, aut justâ alia causa impeditis Coadjutor dandus est, in Ecclesia ministraturus.

- CCXCI. Major Monialium numerus institui non potest, ut profiteantur, quàm quae commodè sustineri valeat, ex Monasterii fructibus, atque proventibus.
- CCXCII. Prius debet verificari Beneficiorum vacatio, quàm eorundem institutio; immò & quàm promissio.
- CCXCIII. Sede Episcopali vacante omnia potest Capitulum absdubio Beneficia conferre, quae necessariae dicuntur collationis.
- CCXCIV. Episcopus sine Capituli consensu item & subscriptione Ecclesiae res nequaquam valet alienare.
- CCXCV. Pariter abs consensu Capituli ad hoc simul & ad Praelatum praesentatione spectante; praesentatos non potest instituere.
- CCXCVI. Minore Collegii parte, sive Capituli rationabiliter contradicente, quod à majori fit nullius roboris habendum est, atque firmitatis.
- CCXCVII. Hinc Ecclesiarum praedia locari, conducive non possunt ad longum temporis spatium; quod quantum sit, rogatus.
- CCXCVIII. Si rem accipis commodatam, ad omnium culparum cogendis praestationem; non autem ad casus fortuitos & majores sint, & communes.
- CCXCIX. Depositarius pro rei depositae redditione conventus, haud liberabitur compensatione excipiens.
- CCC. Emptionis contractus in quo enormis emerit laesio nullus certè non est; etsi remedium suboritur vel ad rescissionem, vel ad supplementum.
- CCCI. Non semper Venditor suberit evictioni; uti denuntiatione omisâ, aut iniquè judicato, aut tempore sententiae stantè contumaciâ.
- CCCII. Sterilitate agros, frugesque invadente, pro ratâ remittenda est pensio Colonorum.
- CCCIII. Cadet à jure Emphyteuta, si per biennium cessaverit à solutione Canonis, aut irrequisito Domino meliorationes vendiderit.
- CCCIV. Qui Beneficia absque Praelati auctoritate permutant, ipsorum perferent privationem, amissionemque.
- CCCV. Licet Praelatis res jam infeudatas, finito feudo, infeudare iterum ex justa causa; ut ut non infeudare, jurassent.
- CCCVI. Quae res Divino cultui dicatae dignoscantur, pignoris dationi resistunt, si graves necessitatis casus non emergant.
- CCCVII. Uxoratae Mulieres pro Dotium consecutione tacitae hypotecae fruuntur praelatione, atque privilegio.
- CCCVIII. Quos fructus ex re perceperis pignorata in sortem debiti principalis imputare compelleris, usurarii nota non inurendus.
- CCCIX. Clericus obaeratus suum fidejussorem ab hoc munere indemnem reddere tenetur, vel per assignationem proprii Beneficii fructuum.
- CCCX. Ecclesiae successor soluturus est ea debita, quae propter illius utilitatem suus contraxerit Praedecessor.
- CCCXI. At Praelatorum nullus debet pro alienis debitis extinguendis proprias subdere Ecclesias, aut obligare creditoribus.
- CCCXII. Donatio ingratitudinis causa stante potest revocari ipsius Donantis instantia; non autem ejus haerede petente.
- CCCXIII. Episcopus ultima celebrare Elogia non potest de rebus propriae Ecclesiae intuitu quaesitis; de patrimonialibus, utique.
- CCCXIV. Qui vitam Monasticam aut Regularem profitentur, Testamentum condere nequibunt, nec codicillari.

CCCXV. Unicuique libertas suppetit eligere Sepulturam ; at vita functus , electione non facta , in majorum sepulcro sepeliendus est.

CCCXVI. Omnes omnino Parochiani de praediis propriis Decimas solvere tenentur divini cultus Ministris quibus sunt designatae.

CCCXVII. Novitius , qui sua sponte sese ingerit actibus Professorum , exinde Professus censendus est , ac si expressè solemnia omisserit vota.

CCCXVIII. Qui adversa valetudine captus , etsi de salute desperans Professionem in aliqua emisserit Religione ; in eadem cogitur permanere.

CCCXIX. Religiosi qui sanctioris vitae peragenda causa ad strictiorem Religionem convolare cupiunt , sinendi sunt sui Praelati legitime petita licentia.

CCCXX. Vir Religionem ingredi prohibetur propria Uxore renuente ; immo eidem inhibetur ingressus Muliere consentiente , nisi haec , si juvenis , ad Religionem convertatur , & si senex , castitatem promittat servatura.

CCCXXI. At si nondum consummatum fuerit Matrimonium , Conjux liberrime , etsi alter dissentiat , Religionem poterit introire.

CCCXXII. Vota eleemosynis redimuntur , vel in aliud opus , si superioris intercedat authoritas , commutationem accipiunt.

CCCXXIII. Votum simplex propria emittentis voluntate commutari potest in solemne Religionis votum.

CCCXXIV. Monachus , si ex hac vita migraverit aliquid peculiare ut proprietarius possidens , Ecclesiastica privandus est sepultura.

CCCXXV. Patroni Beneficiorum non possunt Clericos instituere sine Episcopi , propriique Praelati licentia , atque authoritate.

CCCXXVI. Ecclesiarum Praelati super illis novos Census imponere Canonica Sanctione prohibentur justa quidem de causa.

CCCXXVII. Altare moto , aut ejus principali lapide confracto ipsum consecrabitur ; non vero Ecclesia , cujus sit Altare.

CCCXXVIII. Si Ecclesia violetur , reconciliari debet per aquam cum vino & cinere benedictam , interim Missarum celebratione cessante.

CCCXXIX. Simplex Sacerdos nec Ecclesiam poterit consecrare , nec ea violata reconciliari , etiam ex Episcopi delegatione.

CCCXXX. Qui inviti & reluctantes sanctum receperint Baptisma , ejus characteris impressionem non induunt.

CCCXXXI. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum , sicuti & Sanctum Chrisma fideliter debent sub Clavibus custodiri.

CCCXXXII. Mulieribus statim atque partum ediderunt , minime prohibetur Ecclesiarum ingressus.

CCCXXXIII. Clerici Procuratorum forensium fungi munere inhibentur ; immò & proferre sanguinis sententiam eisdem non permittitur.

CCCXXXIV. Sponsalia contrahentium consensu & ineuntur , & dissolutionem patiuntur reciprocam ; etsi fuissent firmata juramento.

CCCXXXV. Inutilis omnino est poenae impositio , quae superadditur legitimis Sponsalibus de futuro , ineundo Matrimonio.

CCCXXXVI. Depositione vel unius Testis adeo de futuro Sponsalia infringuntur , ut Matrimonii promissi celebratio impediatur.

CCCXXXVII. Matrimonium , quod gravi inititur metu in constantem virum cadente ; nullum reputa.

CCCXXXVIII. Nec Uxor , cujus Vir inimicorum expeditionibus captus per longum tempus detineatur ab hostibus , antè poterit celebrare Matrimonium , quàm de conjugii morte fuerit certificata.

CCCXXXIX. Si bonum pacis , similesque dempseris causas non antè quatuordecim aetatis annos Viri , nec ante duodecim Foeminae conjugali nexu copulantur.

CCCXL. Proclamata praecedere Matrimonii celebrationem debent, ita ut sine legitimâ , & urgente causâ illorum publicatio minimè dispensetur.

CCCXLI. Cum duobus Matrimonium celebrans , primae tenebitur adhaerere Uxori , posteriore relictâ.

CCCXLII. Quae in Matrimonio contra ejus substantiam fixa fuerit conditio , illud vitiat ; at impossibilis , seu turpitudine nitens , non adjecta putatur.

CCCXLIII. Votum Religionis simplex non minus impedit nondum initum Matrimonium , quàm solemne irritat postmodum celebratum.

CCCXLIV. Nulla habenda sunt Matrimonia celebrata per Viros cum Uxoribus adulterio pollutis , quarum conjuges amborum machinatione, animoque ea celebrandi , occubuere.

CCCXLV. Ob Leprae infirmitatem nec à mensâ , nec à thoro , minusque à Matrimonii vinculo divertere valent Conjuges.

CCCXLVI. Si baptizatus & filia baptizantis ; aut mater baptizati, & hujus suceptor contrahant Matrimonium impedimento junguntur dirimenti.

CCCXLVII. Adoptans & Adoptatus Matrimonio nequeunt copulari, adoptione vigente inter eosdem.

CCCXLVIII. Superveniens affinitas Sponsalia solvet de futuro ; minimè vero Matrimonium seu legitimum , seu consummatum.

CCCXLIX. Matrimonium quod Infideles contrahunt in cognationis gradibus ab Ecclesiâ prohibitis , non dissolvitur Baptismatis receptione.

CCCL. Consanguineis ad usque gradum septimum prohibitam conspicimus Matrimonii celebrationem Decretalium jure perpensò.

CCCLI. Constito de coëundi impotentia , illicò separandi sunt Conjuges à Matrimonio , quo erant copulati ; si ipsis non superveniat.

CCCLII. Inicum Matrimonium contra Interdictum Ecclesiae solummodo clausula prohibitoria utentes , validitate pollet , Conjugibus subimpositâ poenitentiâ : non item si fuerit prohibitum irritantis clausulae virtute.

CCCLIII. Naturalis filius efficitur legitimus ob verum Matrimonium in Ecclesiae facie celebratum post illius nativitatem.

CCCLIV. Nec legitimitate intelligetur exutus propter separationem Matrimonii factam Judicio Ecclesiae , si ante illam in lucem fuisset editus.

CCCLV. Si impedimento perpetuo Matrimonium fuerit celebratum, ab omnibus , ut dissolvatur , poterit accusari.

CCCLVI. Mulier , quae in viri mortem fuisset machinata , & secuto interitu ad secundas convolare desideret Nuptias ; illo Matrimonio, & alterius ineundi spe remanebit privata.

CCCLVII. Grave crimen à Conjugibus perpetratum , causa non est ut à Matrimonio separentur ; nisi spiritualiter fuerint fornicati.

CCCLVIII. Nulli conjugum ab alio separari fas est , nisi auctoritas , & judicium accesserit Ecclesiae separationem praecipiens.

CCCLIX. Ex causâ licitâ soluto Matrimonio dos restituenda est Uxori , dummodo ab eadem praestita non fuerit.

CCCLX. At Bona Matrimonio durante superlucrata dividenda sunt Conjugem inter utrumque.

Adul-

CCCLXI. Adulterii perpetratione nedum Mulier Dotem , quam attulit ; amittet ; sed etiam donationem , quam dicimus propter Nuptias.

CCCLXII. Donatio inter Conjuges Matrimonio durante confecta , in-  
subsistens est horum alterutro locupletiori facto.

CCCLXIII. Qui ad secundas Nuptias convolaverint , matrimoniales  
Benedictiones non accipiunt in facie Ecclesiae.

CCCLXIV. At infamiae notâ non inuruntur sive vir , sive Uxor,  
quamquàm ob alius interitum intra Luctus annum , secundum Matrimo-  
nium ineant.

CCCLXV. Illegitimè accusantis petitio non debet reum in iudicio fa-  
tigare , litiumque ingerere molestias.

CCCLXVI. Nec accusatus de crimine , pendentem ejusdem judiciali  
notione , novis decorandus venit Dignitatibus.

CCCLXVII. Pretium exigi non debet pro Ordinibus , Baptismate,  
Sacramentisque conferendis ; nec pro Defunctis sepeliendis.

CCCLXVIII. Qui pretium sumpserint pro Monastici Abitus collatio-  
ne , & Simoniam committunt , & ab officio patientur suspensionem.

CCCLXIX. Similiter Pretium recipi non debet pro Ecclesiasticâ ju-  
risdictione concedendâ ex iis , qui eandem sunt executuri.

CCCLXX. Variis affliguntur poenis , qui Sarracenis & Catholicae Fi-  
dei hostibus arma deferunt , aliaque hujuscemodi auxilia.

CCCLXXI. Haeretici , & haeticorum fautores anathematis mucro-  
ne feriuntur ; & hoc in statu omnium perditissimo decedentes , Eccle-  
siasticâ privantur Sepulturâ.

CCCLXXII. Ordinatus ab Episcopo schismate involuto , exsequi non  
potest Ordines , quos accepit , Dispensatione semotâ.

CCCLXXIII. Qui se rebaptizari permittunt , praeter alias poenas,  
irregularitatis patiuntur absdubio.

CCCLXXIV. Qui lethaliter peccat ob non adhibitam diligentiam in  
praecavendo homicidio , & rei licitae , & illicitae operam navasset , ir-  
regularis evadit.

CCCLXXV. Etsi poenitentia concedatur decedenti in Torneamentis,  
si ad ea pugnandi accesserit animo , Ecclesiasticâ tamen , si decedat,  
privabitur Sepulturâ.

CCCLXXVI. Clerici sive offerant , sive suscipiant Duellum deponen-  
di sunt , cum eisque secuto homicidio Episcopus non valet dispen-  
sare.

CCCLXXVII. Virginum stupratores aut eas Uxores ducere obstrin-  
guntur , aut competentes assignare Dotes , quibus in Matrimonio va-  
leant collocari.

CCCLXXVIII. Ecclesiae violatores ablata restituentes , vel de res-  
tituendis caventes in vitâ , vel in morte ; ad poenitentiam , & Eccle-  
siasticam admittuntur Sepulturam.

CCCLXXIX. Raptus crimine purgato possunt & ejus Auctor , & Vir-  
go , quae rapta fuerat , in facie Ecclesiae contrahere Matrimonium.

CCCLXXX. Perfidi juratores hominum , horumque venditores gra-  
vissima certè crimina perpetrant ; adeo ut ultimum debeant perpeti sup-  
plicium.

CCCLXXXI. Pro furibus in flagranti deprehensis , atque ipso in cri-  
mine occisis , nostra non orat Ecclesia.

CCCLXXXII. Furti nomine poenas luent nedum qui res surripiunt,  
verum etiam , qui rem furtivam Domino quaerenti non significat aut  
designat.

CCCLXXXIII. Clerici qui manifestas committunt usuras , ab Ecclesiae pelluntur communicatione.

CCCLXXXIV. Qui rem ob solutionis differendae causam certo cariori pretio vendiderit , quàm absque illâ venditurus esset ; usurarium Crimen committit.

CCCLXXXV. Usurarius tamen non dicitur Maritus , qui fructus ex re pignoratitiâ in Dotis securitatem concessâ , in Dotem non computaverit.

CCCLXXXVI. Tam invisus sunt Catholicae Ecclesiae Usurarii , ut eos ad restituendum compellat , quod mentalis usurae nomine recepere.

CCCLXXXVII. Clerici Apostolicarum Litterarum falsarii ab officio , & Beneficio , quae possidebant , depositionem sentient.

CCCLXXXVIII. Sortilegiis nec res sunt quaerendae deperditae , nec futurorum inquirendae notiones.

CCCLXXXIX. Si Accusatorem inter & Accusatum ob collusionem criminum cognitio non prosequeretur ; Judicis officio inquirendum usque dum debite delicta puniantur.

CCCXC. Clericis clamosam venationem per sacros Canones deprehendimus , prohibitam.

CCCXCI. Maledicus Clericus officii , & Beneficii patietur canonicam Privationem , amissionemque.

CCCXCII. Si Clericus Degradationem , Depositionemque despiciens Sacrum celebrare auserit , Excommunicatione donabitur.

CCCXCIII. At si qui fuerit excommunicatus , celebrat , irregularitatem contrahit ecclesiasticam.

CCCXCIV. Qui Sacerdotali suffulti sunt Dignitate incruentum Missae Sacrificium , & Corpus Domini nostri conficere valent.

CCCXCV. Unire Episcopatus , non Episcopis , sed Summis Pontificibus concessum est , Ecclesiasticâ Disciplina perpensâ.

CCCXCVI. Quod construitur Aedificium post ejus novi operis nuntiationem , demoliendum venit.

CCCXCVII. Privilegium singularibus concessum personis , ad alias non protenditur , quam ad eas , quas exprimit Privilegium.

CCCXCVIII. Peccati publici perpetrator , publicam perpessus erat poenitentiam juxta antiquorum Canonum disciplinam.

CCCXCIX. Nefas esse tuemur Metropolitanae Suffraganeorum subditos absolvere , nisi interposito Appellationis remedio.

CD. Praelatus nequit subditos excommunicare , nisi competenti monitione praemissa.

## THESES AD JUS HISPANICUM pertinentes.

CDI. **N**Ostris Augustissimis Regibus competit suprema Jurisdictio tum civilis , tum criminalis super omnibus omninò Civitatibus , Populisque Hispaniarum.

CDII. Contractus , quos Laici ineunt , taliter non possunt celebrari , ut pro illorum executione Judicibus subsint Ecclesiasticis ; & Tabelliones instrumenta haecine recipientes , officiorum amissione puniuntur.

CDIII. Cum Laici citatione reali per Judices Ecclesiasticos sunt experiendi , non aliter fiet quàm impartito Regii Tribunalis auxilio.

CDIV. Litem impensae ut quam maximè vitentur , debent Procuratorum mandata Advocatorum subscriptione fulciri , sufficientia fore asserentium.

CDV. Quo valeant Rei aut succumbere , aut Litem methodo prosequi congruenti , debent Actores suas majori qua possint certitudine ac claritate deducere instantias.

CDVI. Etsi in Litis progressu eorum agnoscatur omissio , quae illius solemnitatem redolent ac subtilitatem ; nihilo tamen minus Judicium legitimitate induetur , partium reclamazione cessante.

CDVII. Mulieres uxoratae in iudicio instantias producere non possunt absque suorum Maritorum licentia.

CDVIII. At urgente causâ & necessitate , renuente virò licentiam suae concedere Uxori in iudicio ob laudatum finem compariturae , potest illi Magistratus concedere comparendi permissum.

CDIX. Idem esto iudicium pro illis urgentiae casibus , in quibus ob Virorum absentiam non possunt Mulieres ab iis praedictum obtinere permissum.

CDX. Litem mandati generalis ope minimè in iudicio peraguntur ea , quae Mandata exigunt specialia ; uti Tutorum accusatio , Curatorum remotio , Arbitrorum pro transigendis negotiis nominatio , & id genus alia.

CDXI. Rei , adversus quos in iudicio producuntur instantiae , debent in personâ citari , habitâ eorundem copiâ ; latantium vero , aut absentium reipsa sufficiens omninò est citatio ad Domum , libelli copiâ judicialis praecepti aut Uxori , aut familiaribus , aut convicinis tradita.

CDXII. Termini , qui Reis designantur in iudicio comparituris , debent adeò esse peremptorii , ut tantum habeant roboris , atque momenti , quàm si concessi essent trium aequivalentia.

CDXIII. Rei , quibus fuerit citatio facta , concessaque Libelli copia , debent in novem dierum termino Litis efficere contestationem , sub poenâ pro confessis habendi.

CDXIV. A Litem contestatione propriè initiantur iudicia ; horum est radix , angularis lapis , firmissimumque fundamentum.

CDXV. Tam de substantiâ Litem est earum contestatio , ut in omnibus Iudiciis regulariter sit necessaria.

CDXVI. Adeò necessaria est Litibus Reorum contestatio , ut etsi caeterae omittantur iurium solemnitates , sine illa definiri non possint Iudicia.

CDXVII. Quamquam Actores suas instantias possint variare , easque corrigere reluctantibus Reis ; non haec illis conceditur facultas , lite jam contestatâ.

CDXVIII. Si Lites super gabellarum jure vulgò *Alcavalas* progrediantur , non novem , sed in trium dierum solummodo termino contestari debent.

CDXIX. In omni Litem contestandarum termino supputari debent dies , quos nuncupamus feriatis , ut in eorum quocumque fieri contestatio potest.

CDXX. Ut Lites habeantur pro contestatis , debent à Iudice super hoc legitimam consequi declarationem Partes.

CDXXI. Si declaratâ Lite pro contestatâ ob fictam contumaciam Rei , comparuerit iste in iudicio suam innocentiam expositurus , admittendus est ; quamquam à sententiâ declaratoriâ contestationis non appellasset.

CDXXII. Reo legitime citato non comparente in iudicio nefas non

est Actori aut in via ordinariâ Litem prosequi , usque dum definitivè terminetur , aut bonorum possessionem adipisci viâ , quae dicitur vulgò *de Asentamiento*.

CDXXIII. Dilatoriae exceptiones , quae à Reis , ut tales , in iudicio deducuntur , produci debent ante Litis contestationem.

CDXXIV. At quae non ut dilatoriae , sed ut peremptoriae proponuntur deduci debent communiter post litem contestatam ; modo non sit declinatoria iudicis incompetentis prorrogabilis , cuius ante eam fieri debet deductio.

CDXXV. Cujuscumque Instrumenti , quod denuò in iudicio producere Partes ; copia concedendas est illi contra quem producitur.

CDXXVI. Peremptoriae exceptiones debent deduci à Reis intra viginti dierum terminum , prolapsorum post contestationem concessum.

CDXXVII. Rei possunt novâ instantiâ Actores reconvenire ; quo in casu novem dierum spatium conceditur pro ejus contestatione.

CDXXVIII. Reconventionis instantia eodem in iudicio , ac conventionis deducta , eadem omnino sententiâ definitive terminanda est.

CDXXIX. Duplici Libello per quâcumque partium producto habenda est Lis ad probationem conclusa , etsi nulla conclusionis ponatur Providentia.

CDXXX. Conclusâ Lite laudato modo , in sex dierum termino recipienda est ad probationem , ut partes justificent quidquid eisdem congruentius videatur.

CDXXXI. Termini dilatorii possunt à Iudice corripri , sed non extendi , sine urgentissimâ , ut protendantur , causâ.

CDXXXII. Dies termini aut Dilationis in numero illius , quae ad probationem conceditur minimè debet supputari.

CDXXXIII. Omnes probatoriae dilationes , quae in Litium conceduntur progressu , communes sunt omnibus Collitigantibus , ita ut neutri prohibeatur adducere probationes.

CDXXXIV. Causa super his rebus probationi venit recipienda , quarum justificatio Collitigantibus esset profutura.

CDXXXV. Actor citandus est priusquam Reus suas defensiones justificet , & è converso ; ut noscere consequantur personas , harumque qualitates , quae ut Testes depositurae sunt.

CDXXXVI. Minores viginti quinque annorum , aliaeque personae simillimi privilegio gaudentes restitui debent adversus dilationem probationis omissam , dummodo hoc experiatur remedium , intra quindecim dierum terminum à probationum publicatione transactum.

CDXXXVII. Non major terminus concedendus est in restitutione Minorum , quàm ordinarii dimidium ; speciali illorum juramento necessitatis , atque malitiae accedente.

CDXXXVIII. Dilatio ista , quae viginti annorum Minoribus conceditur , semel tantum , in causarum unaquâque admittenda venit.

CDXXXIX. Quaecumque Litigantium pars alteram declarare permisum est exigere secundum positionum ab ea productarum tenorem.

CDXL. Pars illa , sive Actor , sive Reus , à qua declaratio petatur , eam efficere debet praecisis verbis , *nego , confiteor , credo , aut non*.

CDXLI. Minimè autem permittendum est declarationem effici dicendo ; se non certiozem esse de eo quod ab eadem interrogatur ; etsi praedicto declaraverit modo , pro confessâ habeatur.

CDXLII. Si partis Mandatarius deponere fuerit compulsus super po-

sitio.



sitionibus ; adimplere tenetur medio ad id speciali concessio mandato , & secluso Advocatorum consilio.

CDXLIII. Neutri Litigatorum fas est ad positiones declarandas propositas taliter respondere , ut dicat , eas inficiari , prout in illis continentur, sive prout ab altera deducuntur parte.

CDXLIV. Transcurso probationum termino , earumdem fieri debet publicatio ad partis alterutrius petitionem.

CDXLV. Publicatione factâ intra sex dierum spatium potest sive Actor , sive Reus adversae partis testibus injicere defectus ; qui si Judici videantur probationis digni , admittentur utique certo peremptorio termino , dummodo ordinarii dimidium non excedat.

CDXLVI. Testium defectus si à partibus proponantur aut vulgares nimis aut nimis generales , minimè admittentur ; sed iis dumtaxat , qui & specificatione & gravitate fruuntur.

CDXLVII. Unitis Processui probationibus , conceditur partibus ejusdem copia ut allegare valeant , quod libuerit unicuique de his , quae fuerint , vel non in Actis justificata.

CDXLVIII. Factis vel non per Collitigantes allegationibus , concludendum est , eisdem citatis ad proferendam definitivam sententiam.

CDXLIX. Postquam fuerit in Lite ad Definitivam conclusum , admitti potest id generis probatio , quae aut per confessionem partium, aut per evidentiam facti fit ; immo & Testium de proprio officio per Judicem admissorum.

CDL. Transacto viginti dierum termino postquam acta Processus, publicatione factâ , à Judice vocata fuere ; debet ab eodem sententia proferri definitiva.

CDLI. Judex inferior etsi ad superiorem acta Processus , partesque remiserit , ut Definitivâ terminentur sententiâ ; si haec nondum fuisset à Superiori pronuntiata , poterunt ab inferiori definitivè terminari.

CDLII. Si actio unâ ex causâ intensa , fuerit tamen probata ex alia ; valebit nihilominus & judicium , & Definitiva , quae super ea prolata sit sententia.

CDLIII. Actores aut Rei , qui justam litigandi causam non habuerint, sustinere debent expensarum damnationem ; in qua , si non exprimantur, processuales solummodo intelligendae sunt.

CDLIV. Expensarum nomine aut causa non debent illarum solutioni damnati , carceribus mancipari , in eisve retineri.

CDLV. Sententia definitiva , cui partes consenserint , transitum debet facere in rem judicatam , nec ab eisdem potest executio impediri.

CDLVI. Appellatio potest interponi ab inferiori Judice ad superiorem, supremam Majestatem representantem.

CDLVII. A Judicibus Arbitris quoque appellari potest ad Ordinarium competentem , cujus jurisdictioni Collitigantes subsint.

CDLVIII. A sententiis prolatis per Judices Ecclesiasticam Jurisdictionem temporalem exercentes , Appellatio debet interponi non ad Ecclesiastica, sed ad Regem Augustum , Regisve Tribunalia Suprema , superiorave.

CDLIX. Appellationis remedium debet per partes ipsissimo utentes intra quinque dierum terminum interponi.

CDLX. Laudatum remedium instrui potest in voce , si statim atque pars fuerit certior facta sententiae , appellaverit ; at temporis intervallo transacto , non nisi in scriptis adpellabitur.

CDLXI. Cum appellatio interponitur in casibus appellandi prohibitis, admitti solum debet quoad devolutivum effectum.

*CDLXII.* Litigans , qui appellatur debet intra terminum ad meliorandam Appellationem per Judicem inferiorem concessum , comparere coram superiori , ab eoque litteras impetrare.

*CDLXIII.* Cum Sententia à qua fuit appellatum sortiri debet executionem ; Processus copia ad superiorem , non Actuum originalia , remittuntur.

*CDLXIV.* Tribunal superius usque dum de causa cognoverit , Actis introspectis non inhibet inferiori , à quo appellatum fuit.

*CDLXV.* Secunda instantia sive Appellationis , unius anni spatio debet per Superiores Judices , absente justa causa , terminari.

*CDLXVI.* Ea , quae facta sunt à Judice inferiori tempore in quo deduci potest Appellationis instantia , ut attentata revocari debent.

*CDLXVII.* Si in prima instantia testium personis injecti non fuissent defectus aut non probati , non potest in secunda eorum afferi justificatio.

*CDLXVIII.* Guarentigia Instrumenta , aut alia hujus generis , quibus Appellantes suam in secunda instantiâ probaturi sunt intentionem ; cum Libello gravaminum producendae sunt.

*CDLXIX.* Juris exceptionum , quae deduci possunt in secunda instantia ; si reipsa producantur , admitti debet probatio termino competenti.

*CDLXX.* Super eisdem omnino articulis , qui deducti in prima instantia fuere , aut penitus ipsis contrariis , probatio in secunda recipi non potest.

*CDLXXI.* Si Pars appellans Minor foret viginti quinque annorum aetatis , aliaeve privilegiatae personae admittitur eorum probatio super eisdem omnino articulis.

*CDLXXII.* Idem dicimus atque defendimus , cum intentio Appellantis probanda sit per Instrumenta publica.

*CDLXXIII.* In prima instantia non allegata , allegari poterunt in secunda , Appellantis eruendae intentionis causa.

*CDLXXIV.* Procurator ille , qui proprium munus in prima obierit instantia , deducere tenetur appellationis remedium.

*CDLXXV.* Quamquam causa sit criminalis , si reus sit tantummodo poena pecuniaria damnatus , potest ad Consistorium aliquando appellationem adferre.

*CDLXXVI.* Testimonia Appellationum specificè debent implicare nedum personas inter quas Lis vertitur , verum & negotium , super cujus sententiâ appositum fuit hujusmodi remedium.

*CDLXXVII.* Primum Appellationis fatale novissimo Hispananiarum jure observari jubetur in judiciorum progressu.

*CDLXXVIII.* Domini territoriales suos nequeunt impedire Vasallos , ut pro secundis instantiis superiora Augustissimi Regis adeant Tribunalia.

*CDLXXIX.* Dominorum excessus suos Vasallos ad Regia pervenire Tribunalia in Appellationum instantiis impediendum , quoddam esset laesae Majestatis crimen , graveque delictum.

*CDLXXX.* Regales Judices , qui justam Appellationem non admitterent , poenas à Lege statutas luerent.

*CDLXXXI.* A sententiâ per Judices Tribunalis superioris prolata , etsi appellatio interponi nequeat , valet tamen ad eosdem instrui supplicatio.

*CDLXXXII.* Supplicatio à superioris Tribunalis sententiis locum habet in casibus , in quibus appellatio , si fuisset interposita , quoad devolutivum tantum admitteretur effectum.

*CDLXXXIII.* A sententiâ latâ in Judicio super quo duae aliae prolatae fuere conformes , nec appellatio interponitur , nec supplicatio.

At

CDLXXXIV. At cum duae sententiae primitus prolatae per superiora revocatae sunt Tribunalia , bene poterit ab hac ultimâ supplicare.

CDLXXXV. Ab Arbitrorum sententiis per superius Tribunal confirmatis , supplicatio non est admittenda.

CDLXXXVI. A definitivâ sententiâ , à quâ supplicari valet , supplicandum est intra decem dierum terminum ab ejus notificatione transcursum.

CDLXXXVII. Cum Lis fuerit in Tribunali superiori finita per sententiam quae Revisionis dicitur ; exequi omninò debet quavis oppositione cessante.

CDLXXXVIII. Aliqui sunt casus in quibus à Regalium Audientiarum Cancellariarumque Revisionis sententiis ad illarum Judices secunda instrui valet supplicatio : de quibus in Circo.

CDLXXXIX. Secundam supplicationem ut Procuratores valeant interponere , debent esse instructi Principalis speciali Mandato.

CDXC. Supplicatio secunda à Tribunalibus superioribus prolata ad Regiam debet interponi Personam.

CDXCI. Quo locum teneat secunda supplicatio , necessum certè est ut Instantia , à cujus supplicatur sententiâ , inchoata fuerit in superioribus Tribunalibus.

CDXCII. Eadem supplicatio non ab interlocutoriâ , sed à definitiva sententia solummodo interponenda veniet.

CDXCIII. Nec locum habet à sententiâ definitivâ criminali , quatenus ad pecuniariam poenam , si qua in illa contineatur.

CDXCIV. In causa civili non admittitur secunda supplicatio , nisi valor , aestimatioque ejus , quod litigatur , Dupplarum auri tribus milibus exaequata fuerit.

CDXCV. Valor Dupplarum uniuscujusque aequipollet unius Castellani valori , atque aestimationi.

CDXCVI. In possessorio judicio locum minimè habet praelaudatum supplicationis remedium , dummodo proprietatis valor non sit sex mille auri Dupplarum aestimatione.

CDXCVII. Ast cum de possessione in judicio peragitur incidenter , non potest secunda supplicatio instrui.

CDXCVIII. Neque secunda supplicatio admittitur , cum interponitur in judicio possessorio super Majoratibus.

CDXCIX. Haecine supplicatio interponi debet intra viginti dierum spatium à notificatione Revisionis sententiae.

D. Judicium secundae supplicationis definiendum est per quinque Judices ad illud designatos , ex eisdem Actis , quae ad hujusmodi Tribunal delata fuere.

*Vt. Dr. D. Marianus de Perea,*

*Vt. D. Josephus Emmanuel Balaguer,*

Universitatis Rector.

Cens. Regius.

Imprimatur,  
Retana.

*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and orientation.]*

*[Faint signatures and names, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*